

omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo, et languidum. Si nihil esset aliud: nihil esset homine deformius. Sed praesto est domina omnium et regina ratio, quae, connixa per se et progressa longius, fit perfecta virtus. Haec ut imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum est viro. Quonam modo? inquires. Vel ut dominus servo, vel ut imperator militi, vel ut parens filio.

In quo vero erit perfecta sapientia (quem adhuc nos quidem vidimus neminem: sed philosophorum sententiis, qualis hic futurus sit, si modo aliquando fuerit, exponitur) is igitur, sive ea ratio, quae erit in eo perfecta atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut justus parens probis filiis; nutu, quod volet, conficiet, nullo labore, nulla molestia; eriget ipse se, suscitabit, instruet, armabit, ut, tanquam hosti, sic obsistat dolori.

Leg. I. 7. — Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum est a supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, quum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinius? quae quum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine, et in deo, prima homini cum deo rationis societas.

Fin IV. 5. — Summi rectoris ac domini ad naturam apta ratio, vera illa et summa lex a philosophis dicitur.

Senec. epist. 58. Quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, nunquam magis quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, quum forte de Platone loqueremur, quae nomina desiderarent, nec haberent: quaedam vero, quum habuissent, fastidio nostro perdidissent. Quis autem ferat in egestate fastidium? Hunc quem Graeci *oestrum*,